

1. Erat Athenis spatiosa et capax domus sed infamis et pestilens. 2. Per silentium noctis sonus ferri, et si attenderes acrius, strepitus vinculorum longius primo, deinde e proximo reddebatur: mox apparebat idolon, senex macie et squalore confectus, promissa barba horrenti capillo; cruribus compedes, manibus catenas gerebat quatiebatque. 3. Inde inhabitantibus tristes diraeque noctes per metum vigilabantur; vigiliam morbus et crescente formidine mors sequebatur. 4. Nam interdiu quoque, quamquam abscesserat imago, memoria imaginis oculis inerrabat, longiorque causis timoris timor erat. 5. Deserta inde et damnata solitudine domus totaque illi monstro relictus; proscribebatur tamen, seu quis emere seu quis conducere ignarus tanti mali vellet. 6. Venit Athenas philosophus Athenodorus, legit titulum auditoque pretio, quia suspecta vilitas, percunctatus omnia docetur ac nihilo minus, immo tanto magis conductit. 7. Ubi coepit advesperascere, iubet sterni sibi in prima domus parte, poscit pugillares stilum lumen, suos omnes in interiora dimittit; ipse ad scribendum animum oculos manum intendit, ne vacua mens audita simulacra et inanes sibi metus fingeret. 8. Initio, quale ubique, silentium noctis; dein concuti ferrum, vincula moveri. 9. Ille non tollere oculos, non remittere stilum, sed offirmare animum auribusque praetendere. 10. Tum crebrescere fragor, adventare et iam ut in limine, iam ut intra limen audiri. 11. Respicit, videt agnoscitque narratam sibi effigiem. 9 Stabat innuebatque digito similis vocanti. 12. Hic contra ut paulum exspectaret manu significat rursusque ceris et stilo incumbit. 13. Illa scribentis capiti catenis insonabat. 14. Respicit rursus idem quod prius innuentem, nec moratus tollit lumen et sequitur. 15. Ibat illa lento gradu quasi gravis vinculis. 16. Postquam deflexit in aream domus, repente dilapsa deserit comitem. 17. Desertus herbas et folia concerpta signum loco ponit. 18. Postero die adit magistratus, monet ut illum locum effodi iubeant. 19. Inveniuntur ossa inserta catenis et implicita, quae corpus aevo terraque putrefactum nuda et exesa reliquerat vinculis; collecta publice sepeliuntur. 20. Domus postea rite conditis manibus caruit.